

www.e-rara.ch

Biblia Sacra Hebraice, Chaldaice, Graece & Latine

Arias Montano, Benito

Antverpiae, 1569-1573

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Bibl 27-34

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-77665>

Eiusdem Benedicti Ariae Montani alia ad lectorem praefatio.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

EIVSDEM BENEDICTI ARIAE
MONTANI ALIA AD LECTOREM PRÆFATIO.

In qua de totius operis usu, dignitate, & apparatu
ex ordine differitur.



AMPLISSIMOS, & uberrimos fructus, qui ex illustri hoc opere percipi-
tur, Lector, nulla sanè faciliori ratione tibi representare potuimus, quam si,
singulas eius partes, eo quo collocatæ sunt ordine, diligenti explicatione
persequeremur. Ita enim fiet, ut nullo prorsus dispendio, sed certa, &
compendiaria via ad singula capita, rectè deducaris, & tanto labore, ipse
absq; ullo negotio commodè utaris. Sed quia ex veterum exemplarium cum
nostro hoc diligenti collatione, quid alij, qui in eodem opere non mediocrem diligentiam aliàs
adhibuerunt (quorum laboribus nihil detrahimus) & quid deinde nos in hac parte præstite-
rimus, planius, & apertius cognoscetur: Complutensibus Bibliis, quæ communi omnium, penè,
doctorum virorum consensu, ex iis omnibus quæ hæcenus in lucem prodierunt, potissima, atq;
antiquorum idiomatum insigni diuersitate maxime illustrata conspiciuntur, ad unguem exa-
minatis, & cum nostris hisce, qua fieri poterit, diligentia collatis, quid per nos in nostra hac
editione effectum sit, quò res tota clarius pateat, breuiter exponemus. In iis itaque, ut chara-
cterum elegantiam, quibus pollent, & ordinem, ac seriem dictionum suis locis dispositarum,
missam faciamus: Hebraica veritas puris dictionibus, & clausulis bene distinctis, atq; omni-
bus, ut par erat, suo ordine collocatis, dilucide conspicitur. Græcum item contextum ea habent,
cui interposita est Latina interpretatio, quæ ad verbum aptè respondet. His additur Vulgata
editio, Sancto Hieronymo plerunq; adscripta, quæ inter Hebraum, & Græcum textum me-
dium obtinet locum. Præterea in eorum infima pagina legitur Onkelosii in quinque libros
Mosis Chaldaica paraphrasis, cui è regione addita est Latina interpretatio. Opus certè omni
laude dignum, & (temporibus illis) satis eruditum, atq; elaboratum. Verum enimverò, ut
nihil est simul & inuentum & perfectum; nonnulla in iis aut omnino desiderantur, aut etiam,
si ad doctissimorum monumentorum, quæ hodierno die extant, exactiorem normam reducantur,
minus accuratè descripta, atque imperfecta, passim offenduntur: cum Latina interpretatio,
ob literarum alphabeti frequentem interiectionem, lectorem nonnunquam remoretur: vulgata
autem editio Hebraica non satis è regione respondeat: nulliq; Hebraici accentus, qui antiquam
Musices rationem indicat, & qui singulas periodos distinguunt, ibi conspiciantur: atque ex
Hebraicorum vocabulorum thematis, seu radicibus (quas vocant) quæ ibi ferè consistunt in
verbis perfectis, quæ vel ab ipsis Hebraici idiomatis Tyronibus facile inuestigari possunt, omis-
sis interim difficilioribus, parum omnino utilitatis antiquissima lingue studiosis afferat. Deinde ex-
cepta Onkelosii paraphrasi, cuius supra meminimus, ceteri omnes libri παραφρασεως versi, partim à
Ionathã Vzielis filio in posteriores prophetas, partim à Ioseph Cæco, atq; aliis antiquis auctoribus
in reliquos sacre scripturæ libros, in iis planè desiderantur. Id verò consultò, ob eam potissimum
causam, quòd quædam in Chaldaico textu reperirentur, quæ vel superuacanea, aut etiã apocry-
pha viderentur, alia etiam nondum latinitate donata essent, factum esse existimatur. Atque
hæc quidem omnia Ximeno illi (cardinali excelsi ingenij viro, & de Christiana ecclesia ob eius
in ea adiuuanda, atq; omni ex parte exornanda, insignè liberalitatè optimè merito, correctissimè
descripta atq; latina interpretatione aucta, in Christianæ Reip. utilitatè excusa, sacrarum lite-
rarum studiosi iam accepta referrent, nisi supremum eius fatum una die unaq; hora tantum virum
nobis eripisset. Quas quidem Chaldaicas paraphrases in Latinum sermonem conuersas, atq;
adeo de verbo redditas, & ad fidem tum Hispanorum, tum Venetorum exemplarium summa
diligentia castigatas & correctas, in regio hoc opere non desiderari comperies. Ex verò præter
illas, quæ, ut diximus, aliàs in quinque libros Mosis editæ fuerunt, hæ sunt: Historiarum libri
qui

PRÆFATIO.

qui priores Prophetæ dicuntur: Quindecim posteriorum Prophetarum explanatio: Psalterium, ac Prouerborum libri qui una voce nō appellantur. Qui omnes, quanta cura, studio, & diligentia & expurgati, & Latini facti fuerint, & res ipsa docet, & nos etiam, suis locis, Deo dante, commodius demonstrabimus. Habent itaque Theologi, & sacrarum linguarum studiosi vetus testamentum: illud quidem Hebraicum, Chaldaicum, Græcum, ac Latinum: Nouum verò Syriacè, Græcè, & Latine conscriptum. Quibus accedit, in eorum gratiam qui minus in antiquis linguis sunt exercitati, triplex, Latino idiomate, veteris testamenti interpretatio, quæ Hebraicam veritatem, cui cetera lingua se interpretes præbent, ita reddit, ut non mediocrem, sed certè amplissimum fructum ex ea sint reportaturi. Opus procul dubio, omnibus suis partibus absolutum. quod quidem nullis annotationibus magis illustrari potest: cum in eo, veluti primario, & summa auctoritatis exemplari, uberrimi quatuor linguarum fontes contineantur. Cetera verò quæ ad veteris testamenti tempora referuntur, eodem idiomatis genere, quo scripta reperiuntur, Græca scilicet, Græcè, & Latina Latine, diligenter correctæ his annexa conspiciet. Nouum denique testamentum, quod antehac Græcè tantum, & Latine à Christianis legebatur, iam Syriaca (ut diximus) lingua conscriptum, ex optimis quibusque exemplaribus expressum prodit: idque duplex: alterum Syriacis, & genuinis characteribus, ut huius idiomatis dignitas suorum characterum forma appositisimè representata, & ut par est, ornata, apud nos perpetuò conseruaretur: alterum verò in infima margine, ceu limbis in extrema veste, Hebraicis literis, & omnibus suis punctis, & numeris constans huc etiam accessit, ut his qui in Hebraica, quam in Syriaca lingua exercitatiores sunt, hac ratione consuleretur. Ne verò Hebraici, aut Syriaci idiomatis ignari, nobilissima huius linguae fructu carerent, Latina interpretatio, summa fide, & diligentia adhibita est à Guidone Fabritio Boderiano, viro de quouis linguarum genere optime merito, & ecclesiastica disciplina studiosissimo, qui & hanc suam interpretationem summo studio elaboratam, atque adeo se ipsum unà cum fratre Hebraicæ linguae peritissimo, nulla patria, affinium, domesticorum, ac denique priuata utilitatis habita ratione, alacri promptoque animo obtulit. Ne verò quidquam, quod ad regij planè operis splendorem pertinere videbatur, prætermissum existimes: singula tabulae, ære artificiosè celatæ suis locis insertæ sunt. quibus tabulis singulorum textuum, ac diuinorum mysteriorum, quæ sub eis latent, explicatio, licet exiguo loco contenta, longo tamen ac diuino prorsus argumento tractatur, ut studiosus quisque animaduertere poterit. In summa nihil omnino ad dignitatem, ac amplissimum tanti operis ornamentum desiderari potest, quod huc non accesserit: ita ut verè regium sit, & regia munificentia, ac liberalitatis specimen præ se ferat. Denique ut præclarissimum hoc munus, quod Christiana Reip. exhibetur, omni ex parte auctum, atque illustratum prodiret, nihilque in eo planè desideraretur, quod ad sacros usus pertinere posse existimetur, postrema ea volumina librorum calci subiecimus, quæ ex multiplici, quam suppeditare possunt, rerum & verborum copia, APPARATVS SACER, à nobis inscripta sunt. In iis singularum linguarum varias lectiones, quæ vel ad Grammaticam rationem, ut in Hebraicis dictionibus plerunque, aut etiam ad ipsius sententiæ explicationem pertinent, ut in ceteris linguis, veluti in refertissimo promptuario, reperies. Quæ quidem inter se collatæ, quantum utilitatis allatura sint, deprehendent ipsarum studiosi. eas certè ex optimis quibusque, & non solum nostro, verum etiam multorum doctorum suffragio approbatissimis exemplaribus, quæ ad manus nostras peruenerunt, non sine labore desumpsimus. Quibus addo quatuor Grammaticæ artis tractatus, vniuscuiusque scilicet ex quadruplici antiquissimarum linguarum genere, Hebrææ, nempe, Chaldaæ, Syriacæ, & Græcæ suum. His autem, quatuor etiam Dictionaria sacra lectioni perutilia annexa sunt. Atque hac quidem in priore Apparatus parte habentur. In posteriore verò rerum in sacra potissimum lectione necessariorum non pœnitenda tibi supellex exhibetur. Primo enim sese offert liber Idiotismorum, qui quidem in Hebraica lingua satis frequentes occurrunt: isque rerum copia, & varietate ita insignis, ut quidquid ad Hebraicam, aut etiam Latinam lectionem de verbo redditam spectare videtur, abundè tibi præbeat. Præterea duos

PRÆFATIO.

libros reperies: quorum alter, eo quòd rerum ferè omnium naturas, actionesque subindicet, & sermonem ex rebus ipsis natum exponat, De arcano sermone inscriptus est. Alter verò quo pars illa significationis tractatur, qua gestu, atque habitu instituitur, Actionis nomen sortitus est. Sed quia cuius patet, tum ad res explicandas, tum etiam ad certam rerum veritatem indagandam, ac tandem etiam constituendam, ex locorum, temporumque ratione, & ponderum, ac mensurarum exacta cognitione plurimum lucis, & delectationis accedere: omnia Geographiæ, & Topographiæ præcepta, quæ quidem ad sacrarum lectionum explicationem satis esse possunt, ab ipsis sacris descriptionibus, & annotationibus excerpta, duobus libris profecuti sumus. Temporis deinde, ac ætatis illius, quæ iam inde à condito orbe ad Christum usque longa serie effluerat, exquisita, certam quandam, ac breuem rationem tradidimus. Sub finem, ponderum æstimationem diligenter examinatum, ac sacre architecturæ præceptionibus, atque exemplis iucundis omnino, & dignis quæ ab omnibus perdiscantur, concinne exornatam exhibemus. quibus nihil ad arcanos & occultos diuinorum oraculorum sensus explicandos, aut aptius, aut magis accommodatum requiri, aut desiderari potest. Nulla enim ratione unquam fiet, ut veram cognitionem earum historiarum, quas hic egregiè calatas, apteque, & appositè, ut supra admonuimus, suo loco collocatas, conspicias, sub ipsis imaginibus absconditam, & quodammodo (ut ita dicam) latentem, quis rectè assequatur, nisi prius artificiosa, ac diuina planè imaginum structura ei cognita, ac perspecta sit. Index denique his omnibus additus est; breuis ille quidem; sed sua præstantia, insignique utilitate, quod satis est, prolixus. In eo enim non singula tantum verba, verum etiam omnia in locos communes reducta & copiosissima sacrorum locorum concordantiæ (quas vocant) in cõpendium reducta, magno labore Lectorem subleuabunt. Ne verò quidquam antiquissima lingua tyrones ab incepto dimoueret, quinimo, ut ad eius purissimos fontes amplius eis pateret aditus; non sine doctissimorum, ac piissimorum virorum limato, subtiliq; iudicio effecimus, ut Hebraica Biblia integra cum Latina interpretatione, in qua verbum verbo redditur, separatim excusa, Octauum in regio hoc opere totum completerent. Qua in parte perficienda, & pro operis dignitate exornanda, quantum laboris, studij, ac diligentie adhibitum sit, & res ipsa clarè docere poterit, & nos in eius præfatione, Deo iuuante, apertè demonstrabimus. Nam præter versus qui versibus, & verba quæ verbis respondent, atque alia aliis ita coherent, ut absque ullo negotio Hebræa & Latina simul legi, & conferri possint: interpretatio Latina Pagnini appositæ est; qua quidem interdum in marginem reiecta, aliam commodiorem omnino substituiimus, ut durior plerumque Latina interpretatio ipsam Hebraicæ phrasis veritatem aptius exprimeret: quod facile animaduertent qui diligentius ambas conferent. Jsq; tomus nobis aptissimus omnino visus est, cui, maiori cum fructu, & utilitate, quàm in superioribus, Hebræorum vocabulorum themata insererentur. In ipsis autem radicibus annotandis, potissimarum sanè, ac difficillimarum certus delectus in studiosorum gratiam habitus est. faciliores verò suis locis collocauimus. Hac ferè sunt, Lector, quorum te admonitum volumus, ut apparatissimo, atque amplissimo hoc opere, quod in totius Christianæ Reip. gratiam prodit, commodissimè utaris. neque enim de eius utilitate nobis hoc loco pluribus propositum est dicere: quippe quòd eius præstantiam ne eloquentissimus quidem orator, ut par est, copiosissima oratione consequi possit. Sed quid in hac parte præstitum sit, si ei operam dabis, ex te ipse verè cognosces. Id enim, bona omnium venia, liberè ausim affirmare, nullum unquam ex Typographica arte tantum adeoque insigne beneficium in Christianam Remp. fuisse collatum. si enim operis ipsius magnitudinem, splendorem & dignitatem attentè considerabis, Lector, quid prius, aut etiam quid magis admirari debeas, haud facile scies. Te enim tot idiomatum diuersitas, fideles ubique interpretationes, characterum præstantia, tabularum elegantia, ac denique totus hic præstantissimus Apparatus ita oculos atq; animum tenebit tuum, ut verè dicas, tanti huius muneris, Deo Opt. Max. cuius ope, & auxilio inchoatum, ac denique non sine manifesto ac summo eius fauore, & singulari beneficio ad optatissimum finem tandem

PRÆFATIO.

aliquando perductum est; mox etiam doctissimis ac vigilantissimis viris quorum opera & industria tibi, quale est, exhibetur, ingentes & nunquam intermorituras gratias esse habendas.

VOS ITAQUE ARCHITECTI, PONDERVM, AC MENSVRARVM PERITI, ARITHMETICI, HEBRÆÆ, CHALDÆÆ, GRÆCÆ, SYRIACÆ, ET LATINÆ LINGVÆ STUDIOSI, VOS DENIQUE ERVDITISSIMI THEOLOGI, QVICQVID IN AVREO AC PLANE DIVINO HOC MVNERE VOBIS EXHIBETVR, ID TOTVM PHILIPPI REGIS POTENTISSIMI, AC DE RE LITERARIA OPTIME MERITI, CVIVS MANDATO NOS PRO EIVS ERGA LITERATOS HOMINES STUDIO, AC AMORE HVIC TANTO OPERI PRÆFVIMVS, INSIGNI PIETATI, FLAGRANTI SACRARVM LITERARVM DESIDERIO, MAGNIFICENTISSIMIS SVMP TIBVS, AMPLISSIMÆ MVNIFICENTIÆ, VEREQVE PRINCIPE HOMINE DIGNÆ LIBERALITATI ACCEPTVM REFERTE. DENIQUE NE SOLVM LITERATORVM TVRBA, QVÆ HODIERNO DIE EXTAT, VERVMETIAM POSTERI TANTORVM LABORVM, AC VIGILIARVM, INGENIO PRÆSTANTIBVS, ET ERVDITIONE PERFECTA HOMINIBVS, QVI, QVANTVM LABORIS ET OPERÆ, IN SACRATISSIMO HOC OPERE IMPENDERINT, ET RES IPSA DOCET ET CHRISTIANA RESPVBLICA ABVNDE COGNOSCET, DEBITVM HONOREM, AC OPTIMO IVRE DEBITAS TANTI BENEFICII GRATIAS AGANT, (NIHIL ENIM MAIORI DIGNVM ET COMMENDATIONE, ET MEMORIA, ET SEMPITERNA GLORIA IN INFINITA POSTERITATE AB ILLIS EXPECTARI POTERAT) EORVM NOMINA ET COGNOMINA PERPETVVM LABORIS, OPERÆ, STUDII, DILIGENTIÆ, ERVDITIONIS, DOCTRINÆ, ANIMI QVE AD CHRISTIANAM REMPUBLICAM PRO VIRIBVS IVVANDAM ADMODVM PROPENSI, CLARVM ET ILLVSTRE TESTIMONIVM HOC LOCO ADSCRIBI CVRAVIMVS.

Itaque, ne quamplurimos Hispanos, Italos, & Gallos, qui nos sua ope, & auxilio plurimum iuuerunt, hoc loco referamus: eos tantum recensebimus, qui ab ipso operis initio ad finem vsque, tum in eo parando, describendo, vertendo, adornando, immutando, aut corrigendo multum laboris, opera, ac diligentia adhibuerunt. ex quorum numero, CHRISTOPHORI PLANTINI viri de Typographica arte, qua cetera omnes illustrantur & viuunt, optime meriti, summam ingenij dexteritatem, admirabilem prudentiam, sedulam operam, infinitos labores, ac denique omnibus in rebus insignem diligentiam, nemo satis admirari, ac dignis laudibus extollere potest. nec est, Lector, quod pluribus hac de re tecum agam: res enim per se ipsa loquitur. Non solum enim infinita, tum veterum, tum etiam recentiorum, in omni artium, & scientiarum genere volumina, qua ab eius prelo in totius Christiana Reip. gratiam continuo prodeunt, quam mirifice is rem literariam augeat, amplificet, & exornet, literatis omnibus fidem faciunt: verumetiam prestantissimus hic sacrosanctæ Theologiæ, & antiquissimarum linguarum Thesaurus, quoniam ille sua industria & labore in adiuvanda Rep. sit animo, & huius, & futuri seculi hominibus luculentissimum erit testimonium.

Maximam verò partem eorum, qua hic diligenter correctæ, exornatæ, perpolitæ & elaboratæ sunt, FRANCISCI RAPHELINGII, quem sibi generum Plantinus adsciuit, summæ industria, incredibili diligentia, continuo sedulitati, perspicaci ingenio, & præstanti iudicio, acceptam referre debes. Te enim Lector iudicem appello, ut ex operis ipsius magnitudine, præstantia, & dignitate tute aestimes quot & quales fuerint, huius viri labores, & quam insignis antiquarum linguarum peritia; qua, meo quidem iudicio, nemini suo iure cedit. Amplissimus enim hic scientiarum, & linguarum Thesaurus se, huius viri ope, & industria ita ut vides, correctissimum in lucem prodixisse, sua raritate & excellentia aperte testatur.

PRÆFATIO.

GVIDONEM FABRICIVM, cuius supra meminimus, tum genere, tum ob præclaras animi dotes, verè nobilem, atque inter clarissimos Gallia Poetas non immeritò connumerandum, Catholica Ecclesia, ac religionis Christiana studiosissimum, Hebraici idiomatis peritissimum, atque adeo Syriaca lingua insigni cognitione ornatum, (quod quidem vel ex ipsa Noui Testamenti Syriaci latina interpretatione apertè cognosci potest) non est quod meis verbis hoc loco commendem: eius quippe insignis eruditio, & opera, qua nos in hoc opere mirificè iuuuit, ipsa per se satis prædicant à studiosis omnibus huic viro plurimum deberi.

NICOLAVM FABRICIVM Guidonis fratrem, in antiquis, ac potissimum in Hebraica lingua non infeliciter versatum, qui sua diligentia & continuis laboribus, in hoc opere transcribendo, interpretando & corrigendo inter ceteros nobis etiam adiumento fuit, huic catalogo meritò inscribendum duximus.

In primis autem sacrarum literarum studiosi, AVGVSTINO HVNNÆO, & CORNELIO GOVDANO, duobus Louaniensis Gymnasij luminibus, sacra Theologia Doctoribus, & publicis professoribus, ac toti rei literariæ addictissimis, ingentes habeant gratias. his enim propter insignem eruditionem, & sacrarum linguarum non vulgarem cognitionem, optimi Regis mandato, hoc opus euoluendum, ac diligenter examinandum, à Louaniensi Academia commissum est. Qui quidem, quo sunt felici ingenio, & maturo, & ad grauissimas quasq; res apto iudicio (adhibito ad eam rem IOANNE HARLEMIO sacra Theologia Licentiatò, in omni linguarum genere exercitatissimo, S. Scripturæ & Hebraica lingua apud Louanienses in Societate Iesu professore) suo munere, ut à tantis viris expectari poterat, cum summa laude perfuncti sunt: atque, hac quidem in parte, ipsorum decretum, pro ea, quam obtinent, auctoritate, interpositum est.

De me autem, ac de meo labore & industria (quantulacumq; ea est) nihil profiteor. Hoc tamen vnum non reticebo: me, scilicet, continuo immortales Deo gratias agere, quòd decem idiomatum cognitionem pro sua clementia & benignitate, mihi impertitus sit. Quorum idiomatum gratia, (cum sapientissimo, & potentissimo Regi nostro, eiusq; à Consiliis amplissimis viris, ingratus non sim,) dum plerique grauissimi ac doctissimi viri in Hispania, publicis muneribus, pro sua quisque doctrina, & dignitate funguntur: mihi, in hac mea peregrinatione, tantum munus demandatum est. In quo quidem, qua ratione sim versatus, aliorum esto iudicium.

AT, NE ERGA EOS, qui in transmittendis ad nos correctissimis exemplaribus, aut etiam nobis suo consilio, ope & industria in hoc opere adfuerunt, ingrati animi vitio laborare videamur: atque, ut tuo, Lector, desiderio, hac etiam in parte abundè satisfaciamus; nomina præstantissimorum quorundam virorum, qui egregiam operam nobiscum consumpserunt, & quibus non parum debent sacrarum literarum studiosi, hoc loco ceteris adiecimus. Inter quos CARDINALI SPINOSÆ, Regij, in Hispaniis summi consilij, & sanctæ Inquisitionis Præsidi Amplissimo, non parua sunt habenda gratia. eius enim consilio & fauore, conuocatis etiam ad eam rem præstantissimis viris, Regiq; à Consiliis, Rex noster optimus & sapientissimus, præstantissima hac Biblia inchoari, & ad finem perducì voluit.

COMPLVTENSI ACADEMIÆ multum debent literati homines. Illa enim, duobus & quadraginta Theologia Doctoribus undique collectis, suo suffragio Regis institutum velut sanctissimum comprobauit.

Nec verò GRANVELLANVS CARDINALIS Amplissimus hoc loco nobis defuit: pro eo enim quo erga rem literariam, ac potissimum sacrosanctæ Theologia studia est propenso animo, Bibliorum Græcorum exemplaria, suis impensis ad Vaticanorum fidem descripta, ac diligentissimè collata, ad nos oportunè transmisit.

Nec possum, Lector, SIRLETI etiam CARDINALIS operam, laborem, industriam, ac doctrinam propè singularem tibi non vehementer commendare. Is enim, præter grauissimas occupationes, quibus Amplissimus & sacratissimus Cardinalium ordo distineri solet, ani-

PRÆFATIO.

mum ad sacrarum literarum studia ita conuertit, ut iam Theologorum labor in perquirendis sacrorum voluminum variis lectionibus, magna ex parte sit subleuatus: tanta enim industria & iudicio eas collegit, & quas sequi, & quas reiicere oporteat, ita doctè admonuit, ut merito tanti beneficij immortales gratias amplissimo huic viro habere debeas.

IOANNES REGLA felicissima memoriae Caroli Quinti Caesaris Inuictissimi Confessor (quem vocant) instituti Hieronymiani apud Hispanos suam hac etiam in parte præstitit operam.

PETRVS SERRANVS Cordubensis, in Complutensi Academia Theologiae Doctor, F. LVDVICVS STRADA Theologus Abulensis, AMBROSIVS MORVS Cordubensis omni disciplinarum genere ornatus, & GABRIEL ZAYAS regionum (quos vocant) Statuum à secretis, suis votis, & diligenti procuratione, ut hoc opus quale est, in lucem prodiret, pro viribus effecerunt.

Ab ANDREA MASIO viro à Consiliis, & secretis Ducis Cliuia, plerisque valde doctis annotationibus, & Chaldaica Paraphrasi in priores Prophetas, Psalmos, Ecclesiasten, & Ruth, ope Hispani exemplaris à se Roma inuenti, & quod maximum est, Dictionario Syriaco cum eiusdem idiomatici doctissima Grammatica aucti sumus. summam certè cōmendationem præstantissimus & antiquarum linguarum peritissimus hic vir apud omnes studiosos meretur.

Est etiam nobis à CLEMENTE ANGLO Philosophia, & Medicina Doctore, qui in hisce regionibus propter Christianam religionem exulat, exhibitum Pentateuchi Græci, ex Thoma Mori Bibliotheca elegantissimum exemplar.

His autem omnibus addo GVLIELMVM CANTERVVM, virum præter generis nobilitatem, & rei familiaris amplitudinem, in Græcis, & Latinis literis feliciter versatum, rei quæ publicæ studiosissimum, atque adeo de hoc opere omni ex parte benemeritum.

Detulimus & nos ex Complutensi Bibliotheca posteriorum Prophetarum Paraphrasim Latinam ex Chaldaica factam: Atque adeo ex nostrâ antiquissimum exemplar posteriorum Prophetarum Hebraicè, & Chaldaicè scriptum.

CHRISTOPHORVS PLANTINVS habuit penes se Complutensia Bibliorum exemplaria excusa. Præterea Veneta, Hebraica, Chaldaica, & Græca, & Germanica Hebræa, & alia suis typis aliàs impressa: deinde Græca omnia, quæ quidem in Galliis, & Germania extant celeberrima.

DANIEL BOMBERGVS pius & doctus vir, & paterni tum nominis, tum ingenij hæres, Noui Testamenti antiquissimū exemplar Syriacum Colonia Agrippina ad nos attulit. quod quidem magno nobis fuit vsui, & commodo. Id enim contulimus cum ijs nostris, quæ Ferdinandi optimi ac piissimi Imperatoris beneficio, paucos ante annos cum Latina Ecclesia communicata fuerant.

Itaque iam ex te ipse, Lector, facile potes conicere, quale & quantum munus tibi offeratur: cum ad id parandum tot, & tam insignium virorum industria, & singularis, qua præditi sunt, doctrina accesserit. Superest tantum, ut omnes uno ore à Deo Opt. Max. continuis precibus exoptulemus, ut Christiana Resp. cuius utilitati omnes hi labores consecrati sunt, tanto hoc munere, quàm fieri potest diutissimè ac felicissimè fruatur. Vale. Datum Antuerpia. X. CAL. SEXTILES. clō lō LXXI.